

tivo charitatis, eo ipso tamen quod fiunt ex motivo supernaturali alicujus virtutis infusae censentur referri ad gloriam Dei, si non in actu signato, saltem in actu exercito quatenus ex tali motivo operans et mandata servans vere glorificat Deum, faciendo quod est ei gratum et gloriosum et agit in nomine Christi, hoc est, ex motivo virtutis christianae, seu a Christo praeceptae, aut commendatae in Evangelio.

Obj. 2.<sup>o</sup> S. Augustinus (1) ait: «Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei,» quibus similia habet Epist. 52. Ergo ex ejus mente sola charitas conducit ad vitam aeternam.

Resp. Ut in superiori thesi S. Augustinum solum velle charitatem esse antonomastice, et ita caeterarum virtutum radicem ac formam, ut sine ea ante mortem habita, non possent aliae virtutes ad salutem perducere. Unde, in forma, nego *conseq.* Simili modo explicanda sunt alia plura Scripturarum et Patrum testimonia, quibus significari videtur ad meritum requiri ut opus procedat ex charitate, nempe de charitate habituali spectata prout est moraliter unum cum gratia sanctificante sibi annexa, a qua ut a principio radicali, dignificari, et mediante habitu infuso, procedere debet omnis actus condigne meritorius; vel de processione a charitate virtualiter improprie, interpretative, quatenus est opus justii, qui cum sit habitualiter conversus ad Deum, ut suum finem ultimum supernaturalem, censetur ad hunc finem aliquomodo referre quidquid facit, juxta proportionem et ordinabilitatem innatam ipsius operis (2).

Obj. 3.<sup>o</sup> Habitualis prava dispositio peccatoris non facit, ut omnia ejus opera referantur ad finem ultimum peccatoris, alioqui omnia ejus opera essent peccata. Ergo nec habitualis bona dispositio justii facit ut omnia opera ejus bona ordinentur et conducant ad ejus finem ultimum supernaturalem.

Resp. Neg. paritatem, quia habitualis sanctitas justii influit physice per suos habitus et per seipsam moraliter in omnia ejus opera, saltem ex motivo supernaturali facta; at vero habitualis pravitas peccatoris nullo modo influit in ejus opera moraliter bona.

Obj. 4.<sup>o</sup> D. Thomam (3) dicentem: «Et ideo meritum vitae aeternae primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur.» Ergo...

Resp. 1.<sup>o</sup> Aliqui reverenter deserunt, hac in re, D. Thomam.

(1) De morib. Eccles. c. 15.—(2) Suar. De grat. L. 12, c. 8, n. 15, 16; c. 10, nn. 6-9, 24, 25; Wirceburg. a. n. 308.—(3) 1, 2, Q. 114, a. 4; De verit. Q. 6, a. 26 ad 8; De potent. Q. 6, a. 9.

quia nec ejus auctoritas Tridentino praevallet, nec ejus venerationi quidquam detrahit illum ante hoc concilium aliter sensisse.

Resp. 2.<sup>o</sup> Alii cum Suario (1) dicunt D. Thomam solum voluisse, necessarium esse ad meritum, ut opus aliquo modo pertineat ad supernaturalem charitatem et in illa fundetur et radiceatur; hoc autem habet eo ipso quod fit ex motivo quocumque supernaturali, dummodo fiat ab amico Dei; quia est proportionatum amicitiae divinae, et de se tendens in finem charitatis, quae in operante supponitur. Haec explicatio apertis D. Thomae testimoniis confirmatur (2). «Cum aliquis seipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus, quae propter se facit manet intentio ultimi finis, qui Deus est: unde in omnibus mereri potest si charitatem habet.»

### THESIS XXXII.

Idem charitatis habitus et specie et numero, qui habetur in via, conservatur in patria; imo etiam quoad actum una est charitas viae et patriae.

169. Nota. I. Charitas viae et patriae comparari invicem possunt: a) quoad naturam specificam; vel quoad aliquam perfectionem superadditam: b) si primo modo fit, comparatio potest fieri vel de habitu, vel de actu; c) si altero duplex perfectio spectari potest nempe *intrinsicam* secundum majorem vel minorem intensionem et *extrinsicam* ratione status subjecti ob quem habitus sit v. g. inamissibilis, habeat actum continuum, etc.

II. Eundem habitum charitatis, inquit Suarez (3), specie et numero conservari in patria, est communis theologorum, et videtur expressa sententia Pauli (4): *Charitas numquam excidit*. Quoad actum vero plures theologii, quos sequitur Platelli (5), probabiliter negant esse ejusdem speciei in via et in patria, quare secunda thesios pars non est nisi probabilior.

170. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Apostolo dicente (6): *Charitas numquam excidit* cum e contra de cognitione fidei *ex parte, per speculum, in aenigmate*, asserat; *scientia destruetur..... evacuabitur quod ex parte est..... tunc autem (videbimus) facie ad faciem*. Sed excideret charitas, si saltem quoad habitum non esset una et eadem specie et numero in via et in patria. Ergo... *Min.* prob. Aliter enim non nisi in sensu valde improprio posset de ea dici, *numquam excidit*, quate-

(1) De grat. L. 12, c. 10, n. 24.—(2) QQ. disp. unica de charitate, a. 11, ad 2; Vide object. thes. praeced.—(3) De charitate D. 3, sect. 3, n. 1.—(4) I Cor. XIII, 8.—(5) Synops. De charitate, n. 400.—(6) I Cor. XIII, 8, 12.

nus nempe dono charitatis viae responderet aliud perfectius donum alterius speciei in patria. Sed hunc sensum excludit Apostolus opponens charitatem aliis donis et fidei cui respondet visio. Ergo.

2.<sup>o</sup> Ex S. Augustino (1): «In plenitudine charitatis patriae »praeceptum illud implebitur: *Diliges Dominum Deum tuum*. Nam »cum aliquid adhuc est carnalis concupiscentiae quod continendo »frenetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus:» ubi differentiam pure extrinsecam inter amorem viae et patriae assignat.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Auctoritate D. Thomae (2): «Quando »imperfectio alicujus rei non est de ratione speciei ipsius, nihil »prohibet idem numero, quod prius fuit imperfectum, postea perfectum esse, sicut homo per augmentum perficitur, et albedo per »intensionem. Charitas autem est amor, de cujus ratione non est »aliqua imperfectio: potest enim esse et habiti et non habiti, et visi »et non visi. Unde charitas non evacuat per gloriae perfectionem. sed eadem numero manet.»

Favent huic assertioni sacrae Scripturae, et Patrum testimonia, quae dicunt charitatem eandem manere in via et in patria: nam potius de actibus, quam de habitibus loquuntur, ut patet ex S. Augustino supra.

3.<sup>o</sup> Ratione; nam ratio formalis objecti in via et in patria est eadem, nempe divina bonitas supernaturalis, differunt vero hi amores in cognitione talis objecti: ergo solum in cognitione sine qua non et applicatione objecti amabilis. Subsumo, sed actus ita diversi. solum accidentaliter, non essentialiter sunt diversi. Ergo... Confirm. Quia probabilissimum est de facto Beatissimam Virginem in suo transitu actum divini amoris non interrupisse, sed eundem numero in patria, quamvis necessario et majori perfectione continuasse. Ergo (3)...

171. Obj. 1.<sup>o</sup> Actus Charitatis quo diligitur Deus ob ejus bonitatem naturaliter cognitam, differt essentialiter ab eo quo diligitur ob ejus bonitatem fide cognitam. Ergo a pari propter cognitionum diversitatem idem dicendum est de amore viae et patriae.

Resp. Neg. paritatem; quia cognitio fidei in objecto casu non se habet solum ut conditio, sed ut aliquid efficiens et elevans ipsum amandi motivum; sed lumen fidei, et visio intuitiva pertinent ad eundem ordinem supernaturalem, ac proinde non variant speciem objecti.

Obj. 2.<sup>o</sup> Amor viae est liber, et amor patriae est necessarius: ergo specie differunt. Confir. Quia motus primo primi antevertebantur ani-

(1) *De perfect. justitiae*, L. 8, in med.+(2) 1, 2, Q. 67, a. 6.—(3) Vid. D. Thom. 1, 2, Q. 67, a. 6; Suar. De charitate. D. 3, sect. 3; Mazella. De virt. infusis a n. 1318.

mi deliberationem, specie differunt a motibus deliberatis, quamvis respiciant idem objectum; possunt enim deliberati esse peccata mortalia, non autem illi primo primi. Ergo...

Resp. Neg. *sequelam antecedentis*. Ad confirmationem dist. differunt specie in genere entis; neg. Morum; conc. Ratio est, quia sola libertas et necessitas non efficiunt distinctionem essentialem in entitate actus. Nam idem motus, quatenus praevenit deliberationem et quatenus ea accedente continuatur, manet ejusdem speciei et naturae in genere entis, et solum differt a seipso in genere morum, quatenus ex necessario fit liber. Eodem modo amor viae et patriae.

Obj. 3.<sup>o</sup> Hi duo amores fuerunt simul in anima Christi; ergo distincti specie, dicendi sunt.

Resp. Conc. *antec. neg. conseq.* Nam in Christo ex duplici cognitione supernaturali nempe infusa et beata poterant oriri in voluntate duo amores numero distincti, sed non specie, quorum unus liber esset ad merendum, alter necessarius esset et beatificus (1).

## SCHOLION I.

*De intensione et excessu charitatis in patria.*

172. Dico I. Charitas ut habitus et actus potest probabilius esse intensior in aliquo viatore quam in aliquo comprehensore.

Prob. Quia charitas ut est habitus viae et charitas ut est habitus patriae est habitus ejusdem rationis: at charitas viae potest magis et magis intendi: in qualitatibus autem ejusdem rationis, si una semper augeatur, potest pervenire ad alterius quantitatem, eamque superare. Ergo...

Idem dicendum de actibus, quia viator potest elicere actum aequae intensum habitui; et sane de Beatissima Virgine id certissimum est. Actus autem beati non excedit latitudinem habitus. Ergo...

173. Dico II. Probabile est in uno et eodem subjecto charitatem patriae non excedere in intensione summam charitatem quam habuit in via.

Declaratur, nam pendet quaestio haec ex duabus quaestionibus, an merita mortificata reviviscant, et ab altera, an augmentum, quod respondet actibus remissis, detur statim. Si ad primam respondes negative fiet ut in patria non habeat charitatem ita intensam, is qui tepide resurrexit a peccato et postmodum obiit. Si ad secundam pariter negative respondes, accidit multa merita non esse soluta in hac vita, atque in termino viae vel initio patriae intendi magis charitatem. Sed quia utrique quaestioni probabiliores

(1) Vid. Suar. de Incarnatione D. 39, sect. 2, n. 5.

sententiae respondent affirmative (1), sequitur consequenter dicendum: charitatem in eodem non esse intensiorem in patria, quam fuerit in via. Haec intellige praecipue de habitu, nam actus viae fere semper sunt remissiores, licet non repugnet esse aequales.

174. **Dico III.** Charitas patriae excedit in statu quamcumque charitatem viae, unde potest dici simpliciter perfectior.

Prob. 1.<sup>o</sup> Ex Apostolo ad Corinthios (2): *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus; postquam autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.* Ubi Apostolus metaphorica similitudine statum viae comparat pueritiae, statum autem patriae confert aetati perfectae seu virili, ut significet quantum in perfectione unus alterum excedat.

2.<sup>o</sup> Ex PP. S. Augustinus in libro *Retractationum* (3), emendans quod aliquando dixerat, nempe charitatem Ecclesiae militantis esse plenam scribit: «Melius diceretur sincera quam plena, ne forte putaretur charitatem Dei non futuram esse majorem, quando videbimus facie ad faciem.»

3.<sup>o</sup> Ratione a) Charitas in patria est in statu connaturali, nam ipsi ratione gratiae connaturale est esse conjunctam lumini beatifico, et ideo quamdiu ab illo se jungitur, est extra proprium statum, idque ex quadam necessitate vel privilegio, ut daretur locus meritis. b) Charitas in patria a nullo potest retardari, neque impediri quominus toto conatu feratur in Deum, secus in via. c) Charitas ibi omnia refert in eum, quem summe diligit: unde fit ut omnem inconsiderationem, et omnem vel levissimam incuriam excludat; secus est in via. d) Si rationem amicitiae spectes, ibi habet omnes ejus conditiones altiori gradu, summam conjunctionem et eximiam communicationem, indefectibilem perpetuitatem. Status igitur, seu perfectiones, quae ex his omnibus consurgunt, efformant quamdam quantitatem, alterius rationis vocatam a D. Thoma (4), quae non potest esse in charitate viae, quia haec omnia intime oriuntur ex visione.

175. Obj. 1.<sup>o</sup> Omnes perfectiones numeratae sunt extrinsecae charitati, sola autem intensio spectat ad ejus substantiam: ergo cum haec probabiliter non sit major in patria quam in via, charitas patriae non erit simpliciter perfectior:

Resp. Dist. *conseq.* Non erit simpliciter perfectior metaphysice loquendo; conc. Moraliter; neg. Nam humano modo prout charitas consideratur in ordine ad bonum et convenientem usum suarum actionum, charitas patriae debet dici simpliciter perfectior.

Obj. 2.<sup>o</sup> Potest charitas viae esse tanta, ac talibus perfectionibus ornata v. g. confirmatione in gratia, praeservatione ab omni peccato... ut omnibus consideratis, etiam humano modo, moraliter possit perfectior existimari quam remissa charitas alicujus beati.

Resp. Durandus concedit sequelam de potentia absoluta, nec

(1) Vol. III. Disq. V. De poenitentiae sacram. Thes. X, Vol. IV. Disq. IV, Thes. XXXIII b).—(2) 1.<sup>a</sup> XIII, 11.—(3) C. 3.—(4) 2, 2, Q. 24, a. 7, ad 3.

Suario solutio Durandi displicet; attamen quia res est, ait, de modo loquendi, loquendum est cum omnibus ex fundamento illius principii, quod quando perfectio est superioris ordinis, quantumvis crescunt aliae inferioris ordinis, non pertingunt ad aequalitatem (1).

## SCHOLION II.

*De gravitate peccatorum contra virtutes theologicas.*

176. **Dico I.** Peccata, quae opponuntur virtutibus theologis, sunt secundum suum genus graviora peccatis aliis (2).

Dicitur secundum suum genus, quia «nihil prohibet, peccatum quod est gravius secundum suum genus, esse minus grave secundum aliquas circumstantias. Et ideo (v. g.) Augustinus (3) noluit praecipitare sententiam (praeponderantis gravitatis) de malo catholico et haeretico alias non peccante; quia peccatum haeretici, etsi sit gravius ex genere, potest tamen ex aliqua circumstantia alleviari, et e converso peccatum catholici ex aliqua circumstantia aggravari (4).»

Prob. «Cum enim virtutes theologicae habeant Deum pro objecto, peccata eis opposita, important directe et principaliter aversionem a Deo. In quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali et gravitas est ex hoc quod avertit se a Deo; si enim posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale. Et ideo illud quod primo et per se habet aversionem a Deo, est gravissimum peccatum inter peccata mortalia (5).» Sed peccata opposita virtutibus moralibus, quae sunt circa media ad finem et objectum formale habent creatum non important secundum suum genus directe et principaliter aversionem a Deo, sicut opposita theologis virtutibus. Ergo.

177. **Dico II.** Odium Dei secundum suum genus est maximum peccatorum.

Prob. Cum Angelico (6): 1.<sup>o</sup> «Optimo opponitur pessimum (7). Sed odium Dei opponitur dilectioni Dei, in qua consistit optimum hominis. Ergo odium Dei est pessimum peccatum hominis.»

2.<sup>o</sup> «Ratio culpa consistit in voluntaria aversione a Deo. Haec autem voluntaria aversio a Deo per se quidem importatur in odio Dei, in aliis autem peccatis quasi participative et secundum aliud. Sicut enim voluntas per se inhaeret ei quod amat, ita secundum se refugit id quod odit.... Semper autem id quod est per se est potius eo, quod est secundum aliud. Unde odium Dei inter alia peccata est gravius.»

(1) Suar. De charitate. D. 3, sect. 4.—(2) D. Thomas 2, 2, Q. 20, a. 3.—(3) De Baptis. contr. Donatist. L. 4, c. 20.—(4) D. Thomas 2, 2, Q. 10, a. 3 ad 1.—(5) Ibid. q. 20, a. 3.—(6) Ibid. Q. 34, a. 2.—(7) Philosoph. 8, Ethic. c. 8.

178. **Dico III.** Infidelitas est magnum peccatum, secundum se desperatione gravius; sed desperatio prae odio Dei et infidelitate est periculosior.

I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> S. Augustinus exponens illud Joannis (1): *Si non venissem, et loquutus fuisset eis, peccatum non haberent*, ait (2): «Magnum quidem quoddam peccatum sub generali nomine vult intelligi. Hoc enim est peccatum (infidelitatis), quo tenentur cuncta peccata.»

2.<sup>o</sup> «Tanto aliquod peccatum est gravius, quanto per ipsum homo magis a Deo separatur. Per infidelitatem autem maxime homo a Deo elongatur: quia nec veram Dei cognitionem habet; per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur (3).» Ergo infidelitas est magnum peccatum habenda est.

II.<sup>a</sup> Pars. Est secundum se desperatione gravius; «infidelitas enim provenit ex hoc quod homo ipsam Dei veritatem non credit... desperatio autem ex hoc quod homo non sperat se bonitatem Dei participare. Ex quo patet quod infidelitas.... (est) contra Deum secundum quod in se est; desperatio autem, secundum quod ejus bonum participatur a nobis. Unde majus peccatum est, secundum se loquendo, non credere Dei veritatem.... quam non sperare consequi gloriam ab ipso (4).»

III.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Quia peccatum *desperationis* salutis aeternae habetur ut insanabile i. e. difficillimae curationis prae aliis omnibus peccatis, «secundum illud Jeremiae (5): *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua*. Sed peccatum desperationis est insanabile, secundum illud Jeremiae (6): *Plaga mea desperabilis renuit curari*. Ergo...»

2.<sup>o</sup> «Per spem revocamur a malis et inducimur ad bona prosequenda; et ideo, sublata spe, irrefrenate homines labuntur in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur. Unde super illud Proverbiorum (7): *Si desperaveris lapsus in die angustiae minuetur fortitudo tua*, dicit Glossa ordin.: «Nihil est execrabilius desperatione; quam qui habet, et in generalibus hujus vitae laboribus, et, quod pejus est, in fidei certamine constantiam perdit.» Et Isidorus dicit (8): «Perpetrare flagitium aliquod, mors animae est; sed desperare est descendere in infernum.»

179. Obj. 1.<sup>o</sup> Si odium Dei est maximum peccatorum, quia opponitur optimae virtutum, etiam omissio amoris Dei erit peccatum majus omnibus peccatis contra alias virtutes. Sed hoc per se absurdum apparet. Ergo...

Resp. Dist. secundam *antec.* partem, erit peccatum majus omnibus peccatis contra alias virtutes, in ordine omissionis; conc. In ordine commissionis: neg. Et contradist. *min. neg. conseq.* Id unum caeteris paribus ex argumento objectionis deducitur, omissiones oppositas debito exercitio aliarum virtutum non esse ita graves ut

(1) XV, 22.—(2) *Tract. 89 in Joann.*—(3) D. Thom. 2, 2, Q. 10, a. 3.—(4) 2, 2, Q. 20, a. 3.—(5) XXX, 12.—(6) XV, 18.—(7) XXIV, 10.—(8) Lib. 2, de sum. bono, c. 14.

est omissio debiti amoris Dei; non autem omissionem debiti amoris Dei esse graviorem quacumque commissione positiva peccati adversus alias virtutes.

Obj. 2.<sup>o</sup> Odium Dei, qui opponitur amori concupiscentiae ac proinde spei, majorem importat aversionem a Deo quam infidelitas, quae solum negat veritatem Dei; ergo est majus peccatum infidelitate; ergo et desperatio erit majus peccatum.

Resp. Dist. *Maj.* Si odium Dei fundatur in infidelitate aut in aversione a Deo propter ipsum Deum; conc. Si solum fundatur in existimatione impossibilitatis consequendae vitae aeternae ex infirmitate et fragilitate subjecti; neg. Hoc enim minus injuriosum est Deo, quam eum per infidelitatem mendacem habere.

Obj. 3.<sup>o</sup> Actus desperationis immediate attingit Deum, infidelitas vero non nisi mediante actu nostro. Ergo desperatio est gravius peccatum infidelitate.

Resp. Cum Lugone (1): 1.<sup>o</sup> «Infidelitatem intellectualem esse aversionem immediatam a veritate Dei, quam explicite vel implicite negat, et quidem cum majori irreverentia erga Deum, quam sit in recedente per desperationem a Deo propter difficultatem, quem nisi amaret non desperaret.... nemo enim desperat de malis, quae nollet.» 2.<sup>o</sup> «Ipsa etiam voluntas praecedens dissensum erroneum, licet non habeat pro objecto immediate voluto aut nolito Deum, sed dissensum intellectualem, contrahit.... malitiam aversionis immediate intellectuales, quam haberet dissensus ipse erroneus, si esset liber; sicut voluntas reflexa odii Dei, licet non attingat immediate Deum, sed mediante actu odii quem imperat, contrahit malitiam odii Dei, ad quam contrahendam sufficit attingere objectum odii, mediante odio voluto.»

Obj. 4.<sup>o</sup> Infideli aufertur ipsa sperandi remota potentia i. e. fides, et haereticus potest negare aeternitatem praemiorum et poenarum. Ergo infidelitas est desperatione periculosior.

Resp. Dist. *antec.* Infideli aufertur fides, haereticus potest negare aeternitatem praemiorum et poenarum; quin tamen infidelis et haereticus sibi impossibilem apprehendant salutem aeternam; conc. Cum hac apprehensione, quam per se importat desperatio; neg. Facilius enim tollitur simplex error circa fidem, quam propter suam indispositionem desperanti possibilitas salutis suadetur.

Haec de virtutibus theologis; cum fide firma, spe indeclinabili, eam charitatem nobis largiatur Deus, qua inflammatus Apostolus (2) certus erat: *Quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.*

(1) De fide, D. 18, n. 53.—(2) Rom. VIII, 38, 39.